

certo tenetur; quia, si non restituat, cum forte teneatur, exponitur manifesto periculo committendi injustitiam, et hic currit hæc regula juris: « In dubio tutior pars est eligenda. » Ergo.

*Respondent* adversarii, quod qui dubitat an damnum fecerit, non dubitet nisi forte speculative an teneatur restituere, quia per iudicium reflexum, quod « in pari causa melior sit conditio possidentis, » certus practice manet se non teneri restituere, nisi ipsi certo constet se teneri; possidet enim res suas, quibus ideo se spoliare non tenetur, nisi certus sit quod debeat, alioquin non foret melior conditio possidentis.

*Sed contra.* Possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nec ipsum eximit a restitutione in dubio, nisi in quantum fundat præsumptionem quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, sicut contingit in his que jam diu bona fide possidemus, quatenus non est verisimile quod homines rerum suarum avidi eas aliis possidendas relinquunt, ut dixi de præscriptione. At, in nostro casu, possessio rerum tuarum non fundat præsumptionem quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, quæ est damnum de quo dubitas.

*Prob. 2º.* In casu posito, præsumptio damni stat contra dubitantem, ita ut ipsi incumbat probare se illud non causasse. Ergo, si id non probat, tenetur ad illius reparationem, saltem pro parte. — *Prob. ant.* Ubi constat de delicto, præsumptio stat contra delinquentem, sic ut ipsi incumbat probare nullum exinde provenisse damnum ex eis quæ ex tali causa provenire solent; quia, secundum omnia jura, in dubia causa magis favendum est innocenti quam nocenti. Atqui constat de delicto, nempe positam esse injuste causam sufficientem damni. Ergo.

*Confirm.* Quando duo concurrunt per accidens ad idem damnum, et dubitatur a quo sit causatum; v. g., duo explodunt in eundem hominem, et dubitatur ex cujus ictu sit occisus; duo mœchantur cum eadem muliere, et nescitur ex cujus concubitu nata sit proles: uterque tenetur ad restitutionem pro parte, ut communiter docent

theologi. Ergo, a fortiori, nocens, dum concurrat cum innocente.

*Dices:* Proles, in dubio, potest se reputare legitimam, donec probetur spuria. Ergo etiam adulter potest eam reputare legitimam, sicque nihil pro ea restituere.

*Resp. Nego* conseq.; quia jura sic disponunt in favorem prolis innocentis, non in favorem adulteri nocentis.

[Nobis videtur aliter solvendam esse hanc quæstionem, et sit in exemplum casus prolis ex adulterio natæ.

Ponendum est primo hoc principium, quod aliquis non tenetur reparare damnum aliquod, nisi constet ejus actionem fuisse causam positivam, efficacem et formaliter injustam damni. Dico, « nisi constet; » quia, si pronuntiaretur dubitantem an alium damnificaverit teneri ad restitutionem, obligatio certa erueretur ex causa dubia, et effectus virtutem causæ excederet; quod repugnat. Et idem dicendum est, etiamsi damnificator dubius ad partem tantum damni reparandam adigeretur, pro ratione dubii; nam, ut supra dictum est, jus certum sine titulo certo damnificato tribueretur.

In casu proposito distinguendum est. Vel dubitatur an proles sit mariti aut adulteri, vel dubitatur an proles certo ex adulterio nata sit hujus vel illius adulteri.

Si prius, adulter ad nihil tenetur: 1º quia de damno non constat; 2º quia præsumitur prolem esse legitimam, nisi contrarium probetur, eo magis quo adulteri effectum naturalem criminis præcavere student. Tertiam rationem addit S. Ligorius<sup>1</sup>, scilicet quod « melior est conditio adulteri possidentis bona sua, quibus non tenetur se spoliare pro obligatione dubia. » Ita communiter, contra quosdam, qui dicunt esse restituendum pro rata dubii.

Si posterius, subdistinguendum est.

1º Si forte duo ex communi consilio uxorem alienam ad committendum adulterium adduxerint, dicunt multi

1. Lib. IV, n. 637.

utrumque teneri pro rata dubii. Nos vero, ulterius progredientes, censemus eos in solidum teneri, ita ut, uno deficiente, alter ad totum teneatur, quia per modum unius egerunt.

2<sup>o</sup> Si duo adulteri absque omni consilio crimen patrauerint, dissentiunt theologi. S. Ligorius<sup>1</sup> utrumque ab obligatione damnum compensandi eximit, ob rationes allatas in casu quo dubitatur an proles sit legitima vel adulterina. Sed verius dicendum est utrumque teneri, saltem pro rata dubii, ut affirmat Gury<sup>2</sup>, et melius in solidum, ut nobis videtur. Ratio est, quia uterque fuit diverso modo causa positiva, efficax et formaliter injusta damni illati marito, qui jus certum habet ad compensationem. Ille quidem qui factus est pater prolis adulterinæ, damnum intulit et tenetur illud reparare; si vero ut talis agnosci non possit, hoc evenit ex alterius facto, qui crimine suo impedivit ne ab authore damni compensatio determinate exigatur, et ex hac incertitudine maritus innocens, qui certo fuit læsus, pati non debet. Ergo. Quamvis S. Ligorius in solvenda ista quæstione dissentire videatur, nostræ tamen conclusioni favet; nam, etiamsi utrumque adulterum ab omni obligatione eximat, excipit tamen<sup>3</sup>, si adulter secundus adverterit, saltem implicite, se incertitudinis illius causam fore; quod in nostram sententiam recidit.

Quæ de adulterio dicta sunt, de casibus similibus sunt intelligenda.]

#### ARTICULUS IX

*Utrum ille qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, teneatur ad restitutionem?*

*Nota.* Bonum impedibile vel est debitum proximo ex justitia commutativa, quatenus habet jus perfectum et in

1. Ibid., n. 658. — 2. N. 773. — 3. Ubi supra.

re ad illud, ut ad beneficium post collationem et confirmationem, nondum adeptæ possessione; aut jus ad rem, quo possit illud in jure repetere et facere suum, ut ad beneficium post electionem aut præsentationem, seu ad rem promissam vel emptam nondum traditam. Vel non est ipsi debitum ex justitia commutativa, sed habet tantum ad illud jus quoddam morale, sive ex justitia distributiva, sive ex gratitudine, sive ex bona voluntate illius a quo dependet.

Suppono tamquam certum, quod qui impedit aliquem a consecutione boni ipsi debiti ex justitia commutativa, quovis modo impediatur, etiamsi solis precibus aut suasionibus, sine vi aut dolo, teneatur ad restitutionem; quia violat justitiam commutativam et jus strictum alterius.

Dico 1<sup>o</sup>: Qui sine vi, fraude aut dolo, sed solis precibus, persuasionibus, consiliis, blanditiis et similibus mediis impedit aliquem a consecutione boni ipsi non debiti ex justitia commutativa, sed vel ex sola justitia distributiva, vel ex gratuita alterius voluntate, etsi jam ad dandum determinata, non est obnoxius restitutioni: quia non peccat contra justitiam commutativam, nec alterius jus strictum violat; non enim illa determinata voluntas collatoris jus strictum confert. Unde, sicut ille absque donatarii injuria poterat mutare voluntatem, ita alter absque illius injuria potest inducere ad hanc voluntatis mutationem.

Dixi, « boni debiti ex sola justitia distributiva, » ut sunt beneficia et officia publica, quæ cum principaliter ad bonum commune ordinantur, et non in privatum commodum particularium quibus conferuntur, his non debentur nisi ex justitia distributiva. Secus de bono publico, quod est principaliter institutum in utilitatem singulorum, cujusmodi sunt ærarium publicum, piæ fundationes, proventus ex bonis communibus; hæc enim debentur singulis ex justitia commutativa, quatenus unusquisque habet aliquod jus strictum ad suam partem.

Verum major est difficultas, utrum saltem qui id facit animo nocendi, non sit obnoxius restitutioni. Unde

Dico 2<sup>o</sup>: Qui modis præfatis licitis, sine vi aut dolo, im-

pedit aliquem a consecutione boni ipsi ex justitia non debiti, etiamsi id faciat animo nocendi, ex odio, vindicta, etc., non tenetur ad restitutionem. Est communis cum Soto, Navarro, Lessio, Layman, Sylvio, Serra<sup>1</sup>, etc., contra quosdam antiquos, quibus ex recentioribus adhæret Daelman.

Ratio est, quia animus nocendi per opus quod ex se et in his circumstantiis non est læsivum stricti juris alieni, non est contra justitiam, sed contra charitatem tantum, nec facit aliunde quod opus exterius quod de se et in his circumstantiis non est injustum, sit injustum; hæc enim intentio non mutat opus exterius. Obligatio autem restituendi oritur ex violatione exteriori justitiæ.

*Confirm.* ab exemplo judicis qui, ex odio animoque nocendi condemnans reum secundum ordinem juris, non peccat contra justitiam, et non tenetur ad restitutionem.

*Dices :* Secundum leges, si præscindis venas in fundo tuo per quas derivatur aqua ad puteum alterius, animo nocendi, teneris ad restitutionem; si animo utilitatis tuæ, non teneris. Item, si reveles crimen alicujus ex intentione eum diffamandi, peccas contra justitiam et obnoxius es restitutioni; secus si ex intentione ut reus emendetur, aut ut vitetur damnum innocentis. Ergo similiter in nostro casu.

*Resp. Nego consequentiam.* Disparitas est quod, in casibus objectis, opus ex natura sua et in his circumstantiis sit læsivum juris alieni, non in nostro casu. Quando vero opus ex natura sua et in his circumstantiis est læsivum juris alieni, sic tamen ut propter aliquam rationabilem causam nobis liceat illud agere, nos habendo permissive ad alterius damnum, tunc, si adsit intentio nocendi, peccamus contra justitiam et tenemur restituere; si absit, non peccamus, nec tenemur de damno. Ratio est, quia, ut quis peccet contra justitiam et teneatur de damno, requiritur et sufficit quod sit causa voluntaria damni injuste illati. Quando vero quis per opus læsivum juris alieni intendit

1. Ita etiam S. Lig., lib. IV, n. 584.

ejus damnum, et non aliquam utilitatem ad quam habet jus, nihil deest ut censeatur causa voluntaria hujus damni sine causa et injuste illati. Quando vero non intendit damnum, sed aliquam utilitatem ad quam jus habet, non censeatur causa voluntaria damni, sed se habere tantum permissive ad illud. Atque ita se habent exempla in objectione.

Dico 3<sup>o</sup> : Qui vi vel metu, fraude vel dolo, detractionibus, mendaciis et similibus modis injustis, impedit aliquem a consecutione boni, licet ex justitia non debiti, sed ex libera alterius voluntate pendentis, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem damni secundum proportionem spei seu certitudinis tale bonum habendi : ita ut, si nondum esset firmatum quod ei detur, non teneatur ad æquale, sed ad aliquam compensationem, pensatis conditionibus personarum et negotiorum, secundum arbitrium prudentis; si esset firmatum quod ei detur, tenetur ad æquale, supposita tamen omnimoda certitudine, alias, ut dictum est, secundum proportionem certitudinis<sup>1</sup>.

Ratio conclusionis est, quia sic impediens infert alteri damnum per veram injuriam. Licet enim iste alter non habeat jus strictum ad istud bonum, habet tamen a natura jus strictum illud petendi, prosequendi et obtinendi. Item habet jus ne ab isto priori jure per vim, metum, fraudem, dolum, mendacia et similia media injusta deiciatur et impediatur. Ergo qui his mediis injustis illum impedit, lædit ejus jus, et consequenter peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, secundum proportionem dictam certitudinis seu spei ad bonum illud consequendum.

Sed *petes* quare qui precibus aut suasionibus impedit, non tenetur pariter ad restitutionem, siquidem etiam prosequentem jure obtinendi deiciat.

*Resp.* disparitatem esse quod, positis precibus aut suasionibus tantum, collator remaneat in libertate donandi,

1. Hic q. 62, a. 2, ad 4.

et donatarius in libertate prosequendi; posita vero vi vel dolo, tollitur libertas vel donantis vel donatarii.

### ARTICULUS X

*De restitutione facienda ab his qui injuste damnificationi cooperantur.*

#### § I

*Ependuntur quædam difficultates circa cooperantes in communi.*

I. Præter eum qui per se immediate actionem injustam exercet, de quo hætenus, sæpe intersunt qui actioni damnificativæ cooperantur physice vel moraliter, ut qui mandat aut consulit furtum, furi scalas vel claves commodat, et similes.

II. Novem modi communiter cum Authore recensentur, quibus injuste damnificationi quis potest cooperari, his versibus comprehensi<sup>1</sup>.

« Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans. »

Differunt hi modi, quod sex priores concurrant ad damnum positive et directe, tres ultimi negative tantum et indirecte.

[III. Generatim dicendum est, eos qui directe concurrunt ad damnum, teneri ad illud compensandum. Ratio est, quia sunt causa positiva, efficax et formaliter injusta hujus damni. Et hoc confirmatur condemnatione propositionis sequentis, n. 39, ab Innocentio XI facta, 2 mart. 1679: « Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave

1. Ibid., a. 7, o.

damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. »]

IV. Ut cognoscatur quando et quantum isti modi obligent ad restitutionem, tenenda est hæc regula generalis: In tantum obligant ad restitutionem, in quantum influunt efficaciter in damnum; quia tota obligatio restituendi oritur ex influxu in damnum. Quapropter, si certo influant efficaciter in totum, obligant ad restitutionem totius; si in partem tantum, obligant tantum ad partem; si certo nullatenus influant, ad nihil; si probabiliter influant, obligant pro ratione probabilitatis; si sub dubio, proportionate ad dubium, ut dictum est supra.

[Advertendum hic, ex principio posito et demonstrato in tract. *de Actib. hum.*, dissert. VII, art. 3, quod si influxus actionis alicujus in damnum alteri illatum sit tantum probabilis, vel dubius, quod idem est, agens non tenetur ad compensationem, donec certo constet hanc actionem positive, efficaciter et injuste ad damnum concurrisse. Ratio est, quia obligatio dubia est obligatio nulla. Illuc recurrit. Ita concludit S. Ligorius<sup>1</sup>.]

V. Quod si non ad substantiam damni influant, sed in modum tantum, puta ut citius, animosius, atrocius, tali loco, tali tempore, cum tali augmento, dubium est. Nos cum S. Antonino, Paludano, Navarro, Gabriele, Henrico a S. Ignatio, Henno et aliis probabilius credimus quod sic influens tantum teneatur restituere, quantum iste modus seu circumstantia fuit proximo damnosa; quia est tantum causa efficax istius circumstantiæ et non substantiæ actus secundum speciem damnosi<sup>2</sup>.

VI. Ex dictis inferes: 1° Si mandas, consulis, etc., furtum jam parato ad furandum, sive ex se sive ex alterius mandato aut consilio, ita ut tuo non magis moveatur ad

1. Lib. IV, n. 575. — 2. Id., ibid., n. 576.

furandum, sed independenter ab illo furaretur : peccas quidem affectu contra justitiam, sed restituere non teneris ; quia non influis efficaciter in damnum.

2° Si parato furari decem, consulas furari viginti, ad decem tantum teneris et non ad viginti ; quia ad decem tantum influis efficaciter : nisi forte tuo consilio firmiter ad totum furtum reddideris.

[Etiam si fur consilio firmior ad totum furtum factus fuisset, consulens ad totum reparandum non teneretur, nisi constaret eum efficaciter ad totum concurrisset, quia scilicet fur voluntatem mutavisset, si ad eam exsequendam non fuisset impulsus. Ergo, in casu proposito, consulens ad decem tantum tenetur, quia dimidiæ partis damni tantum est causa certo efficax.]

3° Si parato furari hodie consulas cras furari, in tantum teneris, in quantum hæc circumstantia nocet proximo, quia in illam tantum efficaciter influis. Ad nihil autem teneris, si eo fine consuluisti, ut averteres a furto, sperans fore ut fur mutaret animum aut deesset occasio, vel alio recto fine.

4° Si parato furari viginti, suadeas tantum furari decem ab eodem, eo animo ut avertas a majori, non peccas nec teneris quidquam restituere ; quia recte suades, et rem domini utiliter geris. Non enim hujus consilii sensus est absolutus : « Fac hoc minus malum, » sed conditionatus : « Si hoc genus mali facere decreveris, fac potius id quod minus est, quam id quod est majus. » Si vero id suadeas pravo animo, puta quia facilius aut tutius decem quam viginti furabitur, peccas et teneris restituere pro quanto hæc circumstantia nocet proximo.

Dixi, « ab eodem ; » quia si parato furari a Petro viginti, suadeas furari decem a Joanne, peccas et teneris restituere decem Joanni ; quia illi sic efficaciter causas damnum, ut sine te non damnificaretur ; nec habes jus servandi Petrum indemnem cum detrimento Joannis : unde Joannes est rationabiliter invitus. Idem dic, si pa-

rato furari ab aliquo indeterminate, suadeas furari a tali determinate ; quia pariter es causa damni illius quem designas. Secus, si suaderes tantum in genere ut a divite potius quam a paupere furaretur, neminem in particulari designando nec indicando ; quia tunc nulli facis injuriam, sed tantum suades minus malum, ut avertas a majori.

## § II

*Exponuntur singuli modi.*

## JUBENS

I. Jubens dicitur qui suo mandato expresso vel tacito movet alium ut suo mandantis nomine damnum alteri inferat. Non solum tenetur de damno quod expresse jussit, sed etiam de illo quod, attentis circumstantiis, potuit humano modo prævidere secuturum ex sua jussione : ut, si jubeat servo mutilare Petrum, servus autem mutilando occidat.

II. Ubi mandans revocavit mandatum tacite vel expresse, et ea revocatio innotuit mandatario, regulariter non tenetur restituere mandans ut mandans, etiam effectu secuto ; quia per revocationem intimatam mandati, expirat mandatum, sicque non potest amplius censi causa damni, neque mandatarius agit tunc nomine et ex voluntate mandantis, sed nomine et motu proprio.

Dixi quod non teneatur restituere « ut mandans, » quia potest, etiam revocato mandato, aliis titulis teneri : 1° Ut consulens, si mandando mentem mandatarii pravis artibus et consiliis imbuerit, quorum vim et impressionem non sufficienter elisit. 2° Ut non obstans, si mandatarium, non obstante mandati revocatione, facinori perpetrando obstinatum in quantum potest non impediat, quia in causa est per suum mandatum cur proximus sit in tali periculo, quod ideo ex justitia tenetur avertere, si potest. Id saltem est probabile.

[Si mandanti constet mandati revocationem non fuisse

auditam vel intellectam a mandatario, v. g., ob surditatem, aut quia interceptæ fuerunt litteræ, tenetur ad reparationem damni; quia reipsa efficaciter influxit in actionem damnificativam. Peccatum quidem fuit retractatum, sed causa libere posita non fuit sublata.]

III. Quando mandans non potest revocare efficaciter mandatum, tenetur monere damnificandum ut sibi consulat, etiam cum suo damno æquali, si sit spes hac via mali impediendi, non tamen cum damno suo longe majori et altioris ordinis.

[IV. Mandans tenetur reparare damna quæ mandatario ex mandati executione obveniunt, si illum per fraudem, vim aut metum gravem impulit, et damna secutura saltem in confuso prævidit. Ratio, quia est causa positiva, moraliter efficax et injusta damni. Secus probabiliter, si mandarius sponte vel mercede conductus totum onus et consecutaria actionis suæ in se suscipere voluerit.

V. Si mandatarius ex errore evitabili alium damnificaverit, v. g., si jussus Petrum occidere, Paulum occiderit; vel si damnum alicui eyenerit ex eo quod mandatarius limites mandati sponte excesserit, mandans ad nihil tenetur: quia non est causa positiva et moraliter efficax effectus quem prævidere non poterat.

VI. Superior qui ratum habet simplex propositum inferendi damnum alicui, tenetur ad restitutionem; quia approbatione sua, convertendo propositum in voluntatem firmam, fit aequaliter mandans relative ad inferiorem, et positive, efficaciter et injuste in damnum influxit.]

#### CONSULENS

[I. Consulens dicitur qui consilio, precibus, promissis, suggestionem motivi, vel ostensione viæ nocendi, inducit alium ad damnum tertiæ personæ inferendum. Differt a

1. S. Lig., lib. IV, n. 559, 2<sup>a</sup> sent.

mandante; quia executor mandati agit nomine et in commodum mandantis, executor autem consilii proprio nomine, etsi ex alterius consilii impulsu.]

II. Consulens sumitur dupliciter: 1<sup>o</sup> Pro eo qui decernit de bonitate vel malitia actionis, ut qui dicit contractum esse licitum, cum sit illicitus. 2<sup>o</sup> Pro eo qui, supposita et cognita actionis injustitia, illam suadet, sive proponendo utilitatem, voluptatem, honorem quæ ex illa obvenient, sive ad eam precibus, blanditiis, pollicitationibus excitando, sive tandem suppeditando media et modos quibus efficaciter et tuto fieri possit.

[Aliter distinguitur consilium. 1<sup>o</sup> Est *doctrinale*, cum consulens de alicujus actus justitia aut injustitia pronuntiat; vel *impulsivum*, si moveat executorem ad actum. 2<sup>o</sup> Est *nudum*, quando consulens aperit tantummodo sententiam suam de justitia vel injustitia actus, vel ad illum simpliciter impellit, nullam rationem et nullum motivum addendo; est vero *vestitum*, si afferantur a consulente rationes et motiva quibus consilium sive doctrinale sive impulsivum confirmetur.

Hæc distinctio ad superiorem reducitur. Consilium primi generis supra expositum est doctrinale, et potest esse vel nudum vel vestitum. Consilium secundi generis est simul impulsivum et vestitum.

III. Generatim dicendum est, ut supra, eum teneri ad reparationem, qui consilio quod dedit factus est causa positiva, efficax et formaliter injusta damni alicui illati. Hoc principium evidens confirmatur ex condemnatione propositionis sequentis ab Innocentio XI: « Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. » Unde]

Consulentes primo modo, ad quos spectat ratione officii seu professionis consilium dare, quales sunt parochi, confessarii, concionatores, theologi, advocati, medici, etc.;

item ii qui pro idoneis consiliariis se gerunt ac se in tali re peritos profitentur, tenentur ex culpa theologica et pro quantitate culpæ ad restitutionem damni quod ex falso suo consilio sequitur, tam illi qui consilium petit, quam illi contra quem petitur. Quia, cum teneantur et reputentur habere peritiam requisitam, alios decipiunt qui bona fide eorum consilium sequuntur, sicque per culpam et deceptionem sunt causa damni. Opposita ratione, consulentes qui ratione officii peritiam non profitentur, nec se pro peritis gerunt, non tenentur de damno illi qui petit consilium; scienti enim et volenti non fit injuria. Tenentur tamen illi contra quem petitur consilium, quia ille non est sciens et volens.

[Observandum est hic consulentem non teneri erga eum qui damnum passus est, nisi consilium fuerit injustum, efficax et formaliter injustum seu culpabile. Porro, in hoc posteriori casu, nempe si consulens nec peritus nec ut peritum se exhibens, et interrogatus, sententiam suam simpliciter et sine animo nocendi aperiat, ejus consilium non induit tres conditiones requisitas ut adsit obligatio damnum reparandi. Ergo. Secus tamen dicendum, si imperitiæ suæ conscius, ultro det consilium ex cujus executione prævidet, saltem confuse, damnum tertiæ personæ obvenire posse. Ita communiter <sup>1</sup>.]

Sed observandum est, cum Sylvio, Lessio et aliis, neminem ad ullam restitutionem respectu ejuscumque teneri, qui in consilio dando indicat se dubitare, aut qui simpliciter aperit suam mentem, dicens ita sibi videri, non tamen suadens ut alter sequatur; quia, cum nihil certo statuatur, aut affirmetur, aut suadeatur, si nihilominus agat qui petit consilium, non curans habere majorem certitudinem, et inde damnum sibi aut alteri sequatur, soli ejus voluntati atque temeritati tribuendum est.

Idem dic de eo qui respondet secundum sententiam

<sup>1</sup>. S. Lig., lib. IV, n. 564.

probabiliorum; non enim tunc peccat, etsi forte decipiatur.

[Idem etiam dicendum de eo qui, cum de aliqua obligatione erga tertium agitur, respondet secundum sententiam vere et solide probabilem, etiamsi opposita videatur paulo probabilior. Hæc conclusio eruitur ex principio a nobis statuto in dissert. VII de Actib. hum., de Probabilitate.]

IV. Consulentes secundo modo, hi scilicet qui maleficium suadent sive precibus, blanditiis, laudibus, etc., sive propositis quæ ex eo resultant commodis, sive indicatis modis quibus effici potest tutius et efficacius, ad nihil tenentur respectu illius qui petit consilium, quia scienti et volenti non fit injuria; teneri autem respectu illius contra quem petitur consilium, si ex eo illi sequatur damnum indubium est ex dictis superius. Ad quid autem teneatur, si jam parato ad maleficium substantiam consulat tantum locum, tempus, incrementum, decrementum, et similia accidentia, etiam dixi loco citato.

[Id est, in tantum tenetur, in quantum ex consilio quantitas damni fuerit aucta: unde ad nihil, si totum damnum nihilominus fuisset illatum.]

V. Restat itaque difficultas, utrum, revocato tempestive consilio antequam damnum inferatur, maneat consulens absolutus ab onere restituendi, si nihilominus damnum fiat. Quæstio sub distinctione communiter resolvitur, juxta diversum modum consulendi.

Consulens primo modo, revocato tempestive consilio, ordinarie ad restitutionem non tenetur, ut si dixeris et suaseris contractum esse licitum qui est illicitus, si ante factum declares te fuisse deceptum, non teneris; quia tunc tota ratio agendi cessat.

Inter consulentes secundo modo etiam est distinguendum. Qui solis precibus, promissis aut falso supposito

innixus, maleficium suasit, revocato tempestive consilio, non videtur teneri de damno; quia tunc etiam cessat ratio agendi ex consilio proveniens. Qui vero maleficium consulit proponendo ejus utilitatem, voluptatem, honorem, etc., aut indicando media et modos quibus securius et efficacius fiat, non absolvitur regulariter ab onere restituendi per talis consilii simplicem revocationem; quia, non obstante hac revocatione, remanet regulariter tota vis consilii, seu pondus rationum atque earum impressio facta in mente alterius. Quantumvis enim dicas illi: « Noli facere, pœnitet me tibi id indicasse aut suasisse, » non impedis quin maleficium appareat ipsi utile, delectabile, etc., nec quin sciat modos et media illud perpetrandi, quæ ipsi suppeditasti. Quapropter, si iis motus maleficium exsequatur, causa illius es, et restitutioni obnoxius.

VI. Quid faciet ergo consulens, ut eximatur ab obligatione restituendi? Debet, quantum in se est, prioris consilii rationes et motiva efficacioribus rationibus et motivis destruere. Si id nequeat, debet eum contra quem dedit consilium monere, si possit absque suo longe majori detrimento, ut sibi et rebus suis invigilet, ut dictum est de mandante. Tandem, si, hoc non obstante, fiat damnum vi dati consilii, consulens, quantumvis pœnitens, imo et justificatus, manet obnoxius restitutioni, quia manet vera causa damni, et si sit mortuus et forte in cœlo beatus, hæc obligatio transit ad ejus hæredes. Et hinc colliges, a fortiori, non eximi ab onere restituendi qui suadet malefactori ut restituat, et non restituit.

[Sic distinguendum est, ad solvendum hoc dubium.

1<sup>o</sup> Si consulens dederit simplex seu nudum consilium, et illud revocaverit, præsertim si ejus falsitatem ostenderit, a restitutione excusatur; quia jam non est causa efficax damni, quod ex malitia executoris procedit. Ita communiter.

2<sup>o</sup> Si vero consilium fuerit vestitum, id est motivis suadentibus innixum, controversitur. Plures tenent consulentem ab obligatione reparationis non eximi, etiamsi consi-

lium revocaverit; nam, aiunt, motiva proposita pergunt semper movere. Multi vero excusant a compensatione, modo alia motiva saltem æque efficacia opponantur; quia causa prius posita eliditur, et author damni ex propria malitia agit, præsertim si consulens ejus conscientiam commovere conatus fuerit. Hanc sententiam, quæ theologis eam amplectentibus videtur probabilis, valde probabilis, et etiam probabilissima, S. Ligorius vocat satis probabilem, quamvis oppositam probabiliorem habeat<sup>1</sup>. Nos vero eam ut absolute probabilem et etiam probabiliorem teneri posse censemus, si revera consulens meliori quo potuit modo tentaverit damnum avertere.

*Objicitur* a prioris sententiæ patronis: Qui ignem in domum injecit ad eam incendendam, et postea dolens frustra conatus est illum extinguere, ad damnum compensandum certe tenetur. Ergo, a pari.

*Resp. Nego* paritatem. In casu incendii, ignis est causa materialis et physica, quæ necessario agit, et non ex se. Ergo effectus tribuendus est causæ primæ et voluntariæ, ex cujus actione vere procedit. In casu vero consilii, ambæ causæ sunt morales et liberæ, et si prima in secundam cessavit agere et etiam eam ab effectu retrahere, hæc a seipsa agit, et actio damnosa ei soli est tribuenda. Ergo.

Excipe tamen, si consulens agenti subministraverit medium damni inferendi quod iste non invenisset, v. g., modum omnino occultum domum ingrediendi; quia cooperatio fuit vere efficax, præsertim si fuit prævisum furem voluntatem suam non esse mutaturum. Tunc sicut de igne in domum immisso est ratiocinandum.

Si autem consulens nequeat executorem a damno inferendo avertere, tenetur ex justitia dominum admonere, ut sibi cavere possit<sup>2</sup>, sicut supra dictum est.]

#### CONSENTIENS

[I. Consentiens hic intelligitur qui injusto suffragio, voto

1. Lib. IV, n. 559. — 2. Id., ibid.



vel sententia est causa damni alteri illati. Huc veniunt omnes qui communi consilio aliquid decernunt vel faciunt; item consilarii, deputati, senatores, iudices, etc., qui ad leges condendas aut promulgandas, ad sententias edendas, ad officia distribuenda, etc., concurrunt.

II. Suffragium consentientis est vel consultativum, vel decretorium, prout datur per modum consilii tantum, aut per modum sententiæ vi cujus executio fieri debet. Addi potest suffragium mere approbativum.

Consentiens voto consultativo ad reparationem tenetur sicut consulens, id est quatenus superiorem vel alium certo et efficaciter induxit ad damnum injustum inferendum. Dignoscere autem potest ex circumstantiis, an suo voto superior vel omnino vel partim motus fuerit.

Consentiens voto decretorio tenetur ad reparationem sicut mandans, id est quotiescumque et quatenus scienter ac libere dedit consensum efficacem in damnum injustum proximi. Ratio est, quia concurrunt positive et efficaciter ad validitatem decreti vi cujus damnum fuit illatum. Unde tenetur, sicut et cæteri, pro rata et in solidum<sup>1</sup>.

Consentiens suffragio mere approbativo, cum resolutio jam est definitiva, non est causa positiva nec efficax damni, ideoque ad nihil tenetur ex justitia. De eo infra.]

III. Distingue cum Cajetano, in *Summula*, v<sup>o</sup> *Restitutio*, § 8, inter consensum qui est causa et inter consensum qui solummodo est consensus, et non causa. V. g., agitur de bello injusto; convocantur consilarii seu ii ad quos spectat, consentiunt: horum consensus non solum est consensus, sed etiam causa belli injusti, quia ex eorum consensu pendebat negotium, et hos teneri ad restitutionem indubium est. Idem dic de senatoribus suffragantibus injustæ sententiæ, de vocalibus conferentibus vota in electionem indigni ad prælaturam aut beneficium. Audiunt plerique alii bellum injustum esse decretum, injustam sententiam esse latam, indignum esse promotum, approbant, con-

1. Cfr. Marc. *Instit. moral. Alphons.*, n. 983 et 984.

sentiunt, dicunt: « Fiat, ita sit. » Horum consensus est solummodo consensus, et non causa belli injusti, iniquæ sententiæ, promotionis indigni, cum ex ipsis voluntas inique suffragantium non pendeat, non mutetur, etc., et quamvis peccent graviter consentiendo iniquitati, non tamen tenentur ad restitutionem damnorum. Ita, quibusdam additis, laud. Card.

[In priori casu, consentiens est causa positiva, efficax et formaliter injusta damni; in posteriori nullo titulo est causa.]

IV. Cum jam completus est numerus suffragiorum sufficiens ad decernendam actionem damnosam, tenentur ad reparationem pro rata et in solidum, qui suum suffragium addit?

Dicendum: 1<sup>o</sup> Certum est, consentientes omnes æque ad reparationem teneri, si de condicto suffragia dederint; quia, inita conspiratione, per modum unius egerunt, et omnium est unica actio moralis.

2<sup>o</sup> Certum est etiam, omnes obligationem reparandi contrahere, si eodem tempore suffragia dederint; quia, cum nullus tunc fuerit prior neque posterior, sententia seu decretum omnibus jure tribuitur.

3<sup>o</sup> Certum est quoque non excusandos esse a reparatione eos qui primi suffragium emisissent, antequam numerus requisitus fuerit completus, etiamsi certi fuerint alios similiter acturos; quia positive et efficaciter in damnum influxerunt. Ita communiter.

4<sup>o</sup> Estne idem decernendum de iis qui, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum emissionem, suffragaverunt cum numerus votorum requisitus jam fuerat expletus? Controvertitur. Plures graves theologi negant, quia ejusmodi suffragia nullo modo fuerunt causa damni, quod ab aliis fuerat sufficienter præparatum et determinatum. Affirmant alii, quia qui ita suffragium emisit, voluit positive concurrere damno inferendo, et quidem efficaciter concurrere, siquidem sententia vel resolutio non fuit definitiva, nisi, ut supponitur, postquam cuncta suf-